

non ita subito obesos afficit aut inficit, de qua materia paulò post plura movebimus.

Deinde sensûs tactus habetudo dicitur inesse obesis, cum pingvedo ægrè punctus vel alias violentas læsiones aut incisiones persentiscere credatur, de quo varia autorum loca vel testimonia nota sunt. Ex multis sufficiant sequentes auctores, scilicet *Joh: Andr. Graba de cervo c. 28. p. 293.* Inter alia penem pingvedine idè destitutum esse, ne sensus abtundatur & voluptas minuatur, statuit *Alb: Kyperius in Anthropol: l. 1. c. 9. p. 141.* *Joh: Bettus de ortu & natura sanguinis p. 70. & 71.* adstruit itidem nimis pingves non benè sentire, soporibus esse deditos, celeriter senescere, & sterilescere, de quibus nobis suppetunt etiam alia testimonia mox recensenda.

Comperimus autem obesos in somnum esse proclives: Sic *Athenæus l. 12. c. 26.* *Ælianus l. 9. de var. histor: & Nymphis Heracleotes lib: Heraclea 2.* de Dionysio filio Clearchi & Siculorum tyranno enarrant, quòd adè corpore obesò præditus & somnò profundò sæpè detentus fuerit, ut non nisi aciculis punctus suscitari potuerit, quòd inter alios etiam annotat *Thom: Bartholinus in anatom: l. 1. c. 3. p. 17.* Referunt etiam auctores, quòd Dionysius ille 55. annos vixerit, cum aliàs *Hippocrates* ejusmodi homines *βραχυβιωτέρας* pronuntiet. Istum tamen crassitudine tandem suffocatum esse enarrat *Athenæus l. 4. cap. 27.* Laudatus *Conringius loco sæpius citato p. 91.* refert athletas Græcorum, somnolentiæ nomine male audire *Platoni 3. de legibus volumine.* *Marc. Malpighius in Epist: anatom: p. 106.* scribit; Sæpe obesos plus justo somnolentos esse, & tandem quasi obscuratò vel oblitteratò pulsu absque febre suffocatos interiisse, non sine respirandi angustia; plura etiam animalia, cum autumno impensè saginata sint, somno correpta in latebris absq; cibo per hyemem degere, donec dissipata pingvedine acrior redditus & excitatus sanguis ad nova munia inducta vigilia revocet. De his nonnullis verò alio in loco nostræ dissertationis fusiùs agetur. Quod autem somni & torporis causam concernit, à curioso *Malpighio l. 4. p. 104. &c.* prætensam, aliis trutinandam relinquo, num suspicio ipsius locum inveniat, dum arbitratur; quòd